

*Linn. 140. 21.* non confundendum cum Zinco crystallino artificiali sub n. 105. ejus catalogi.

Desiderata reliqua a Te specimina per plurima implicite in catalogo ejus reperies. Ultimus numerus catalogi Tui ad eum erat 180.

*Hic ejus catalogus* est compendiosus, secundum *systematis mei tomi 3<sup>ii</sup>* nomina *trivialia*, at una cum lapidibus promittit ampliorem descriptionem.

Cum nomina *Cronstadtii* s. *Swabii* et *Wallerii* allegata a me sint, in Systemate poteris ex synonymis meis horum nomina colligere, adeoque noluit ea addere.

D. Tidström jussit me scribere sequentia: convenimus, dicit ille, de loco depositionis Lapidum Hamburgi, sed optaret potius Lybeckam, cum naves quotidie Stockholmia petant Lubecam, rarissime Hamburgum; accedit quod merces Hamburgum transportandae debent evolvi et visitari in Telonio marino *Helsingorae*, antequam Hamburgum perveniant.

Mercator et amicus D. Tidstroem qui *Holmiae* degit dicitur *Laurentius Falck*; Hujus Falckii mercatores correspondentes Hamburgenses sunt *Auerhoff* et *Schewew*.

Proxima cum epistola mittat continuationem Catalogi.

Lapides secundum hos numeros sepositos pro Te apud eum vidi.

Utinam velles mihi procurare vel dare bonum specimen *Dalechampiae*. Accepi quidem semina ejus e Gallia, sed non germinarunt.

A longo tempore Tuas non habui.

Vale et fave.

Dabam e praedio 1769, d. 14. Maji.